

P V I S

1 6 1 8



- I. Philastrii Catalogus Hæresium.
- II. D. Honorii de Hæresibus.
- III. D. Bugensæii distributio Methodica Historiæ passionis Christi.
- IV. D. Garzæi Tractatus Concionum Penitentiarum.
- V. D. Garzæi Delineatio Concionum Penitentiarum.
- VI. Basilii Magni Oratio ad Adolescentes.
- VII. Intimatio Fidei Evangelicæ.
- VIII. Theologorum Saxoniarum Epistolæ Invitatoria ad universos Theologos.
- IX. D. Bergii Prælectionis Francofurtensis Disputatio Theologicæ.
- X. M. Sachsii Disquisitio adversus Meijnerum.
- XI. Montani Virga in Bermanum et Ungermannum.
- XII. D. Pelargi Responsum ad Epistolam Schlusenburgii et Cramerii.
- XIII. D. Pelargi Responsoria ad Apostolica duo brevvia Schlusenburgii et Cramerii.
- XIV. Golemi Disputatio de Abstracto et Concreto.
- XV. Pelargi Disputatio de Assumptione Christi.
- XVI. M. Wolgangi Theses de Justitiâ et Justificatione.
- XVII. D. Fusselii Disputatio de Deo.
- XVIII. M. Theopoldi Disputatio ex Dialocho Theodoret. Secundo.
- XIX. de Deo.
- XX. de Peccato.
- XXI. de triâ in Conversione Homini Concurrenti.
- XXII. de Justificatione.
- XXIII. de Bonis Operibus.
- XXIV. de Ecclesiâ.

Maa 15.

XXIII. 24
PROPOSITIONES

E sexto Examinis Theologici Melan-
chthoniani Loco, qui est De Bonis operibus,
depromptæ, illustratæ,

ET

AD PLACIDAM AC
PIAM ΣΤΖΗΤΗΣΙΝ PROPO-
sitæ, Servestæ,

PRÆSIDE

M. JOHANNETHEOPOLDO
Illustris Gymnasii Theolo-
gico Professore & Inspe-
ctore.

RESPONDENTE

GODEFRIDO SCHAUERO
Bernburgensi Anhaltino.

ANNO *χρυσογονίας* M. D. XIII.

*Die 19. November Hora 3.
in aulicâ ec.*

SERVESTÆ,

Typis Zachariæ Dörfferi.

717
AD-PLACIDAM AC
TAM
FRANCO
MONTMARTIN
GODFRIDUS SCHALLER
Dix 19. November 1898
in Berlin





PROPOSITIONES
EX LOCO DE BONIS
operibus.

I.

Cohæret hic locus cum præcedente, ut cum causa effectus.

II.

Cùm enim demonstratum sit præcedenti loco, nos justificari coram DEO, sola fide, gratis, sine operibus, propter solius Filii DEI sacrificium, & nihilominus requiri à nobis incoationem novitatis atq; obedientiæ, non ut causam seu meritum justificationis, sed ut veræ fidei fructum & testimonium: justo ordine, doctrinæ de justificatione, quæ fit per fidem in Christum, subjicitur nunc necessaria explicatio: Quænam sint illa opera, quæ veram fidem consequantur, vel potius, quæ cum eadem individuo nexu, ut effectus cum causa, ut consequens cum antecedente, sint conjuncta?

III.

Sunt igitur opera illa, de quibus hîc agitur, ea tantùm, quæ sunt præcepta in Decalogo, rectè intellecto, secundum Prophetarum, ipsius Christi, & Apostolorum, expositionem seu enarrationem.

IV.

Possunt opera illa clariùs sic definiri, quòd sint ea duntaxat, quæ secundum legem DEI, ex vera fide, fiant, & ad solius DEI gloriam referantur.

A 2

Unde

V.

Unde palàm est, tres esse bonorum operum conditiones, quarum.

1. Est, ut sint mandata à Deo, sive in genere, sive in specie, & non ab hominibus excogitata. Nulla enim creatura jus habet constituendi cultum DEI, Matth. 15. v. 9. Frustra me colunt mandatis hominum. 2. Ut fiant ex fide, sive (ut Euagrius loquitur.) *πρηνυμένως πίστεως*, hoc est, prælucente fide. Fides enim boni operis quasi anima est. Nam, quicquid non est ex fide, peccatum est, Rom. 14. v. 23. Et impossibile est, sine fide, Deo placere. Hebr. 11. v. 6. 3. Ut referantur principaliter ad honorem & gloriam DEI. 1. Cor. 10. v. 31. Omnia ad gloriam Dei facite.

VI.

Porro, bonorum operum studium esse necessarium, ut fructum fidei, & solius verbi divini vocem esse normam seu regulam bonorum operum, variis probatur argumentis ab Autore nostro.

VII.

Primum sumitur à dicto, Ezech. cap. 20. v. 19. In præceptis meis ambulate, & facite ea, hoc est, præstate cultus & opera manifesto DEI verbo expressa.

VIII.

Secundum à fine legis divinitus patefactæ & conservatæ, nimirum ut arguat peccatum, & ostendat, quæ opera, & qui cultus Deo placeant, ut regantur corda verbo Dei, in fide, & operibus Deo gratis.

IX.

Tertium ab autoritate Psalmi 119. v. 105. quo docetur, opera esse regenda secundum verbum Dei, cum sit lucerna pedibus, hoc est, monstret, quæ opera Deus à singulis suo loco requirat. Quar-

X.

Quartum ab edicto per Mosen divinitus, non absq̄; singulari severitate zeli, promulgatum, Num. 15. v. 39. &c. Non sequantur cogitationes suas, & oculos meretricios: sed, memores præceptorum Domini, faciant ea, & sint sancti Deo. Ego Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra Ægypti.

XI.

Quintum à definitione peccati, quæ extat apud Johannem Apostolum (1. Joh. 3. v. 4.) estq̄; extracta ex loco contrariorum, κατ' ἀφαιρέσιν τῆς ἐναντίας, hoc est, per remotionem contrarii.

XII.

Cùm enim inquit Johannes: ἡ ἀμαρτία ἐστὶν ἡ ἀνομία, id est, Peccatum est transgressio legis, sive: Peccatum est quiddam contrarium legi, vult sciri, legem Dei esse normam operum, & statim addit: Qui facit peccatum, ex Diabolo est. Ne igitur domicilia & templa Spiritus sancti esse desinamus, componamus totam nostram vitam ac mores, ut congruant cum obedientia præcepta in Decalogo, rectè, secundum Euangelij interpretationem, intellecto.

XIII.

Sextum petitur à pœnis sequentibus violatores legis. Scortatores enim, idololatræ, adulteri &c. regnum Dei non possidebunt. 1. Cor. 6. v. 9. 10.

XIV.

Septimum ab ardentissima Christi Jesu pro Ecclesia intercessione, quæ nequaquam est inanis sonus. Joh. 17. v. 17. Pater, sanctifica eos in veritate: Sermo tuus est veritas.

XV.

A 3

Preca-

Precatur autem æternum Patrem, ut per verbum suum accendat in nobis veram Dei agnitionem, timorem, fidem & obedientiam, & idcirco requirit Filius Dei, ut vita nostra regatur secundum normam verbi divini, & per consequens, contemtores verbi divini, quasi in faciem expuentes Filio Dei, irritam sibi faciunt precationem ipsius ardentissimam & sanctissimam, quod scelus pœnas præsentis & secuturae vitæ attrahit.

XVI.

Hactenus argumenta, quibus Autor noster utitur, ad demonstrandam studii bonorum operum necessitatem.

XVII.

Possunt autem, melioris ordinis gratia, causæ impulsivæ & finales bonorum operum referri ad certas classes.

XVIII.

Sunt enim facienda opera, vel propter DEUM, vel propter homines, hoc est, nos ipsos, & proximum.

XIX.

Propter Deum, 1. Quia ipse præcepit. Ezech. 20. v. 19. Matth. 5. v. 16. Joh. 15. v. 12. Rom. 6. v. 18. 1. Thess. 4. v. 3. &c.

2. Ut per nos illustretur gloria Patris nostri cœlestis, Matth. 5. v. 16.

3. Ut simus Deo grati, Rom. 12. vers. 1. 1. Pet. 2. v. 5.

XX.

Propter nos, seu, nostri causa: 1. ut operibus bonis testemur fidem nostram, Matth. 7. v. 17. Phil. 1. v. 11. Jac. 2. v. 20.

2. Ut

2. Ut de remissione peccatorum seu justificatione nostra coram Deo per Christum gratuita certi simus: Justificatio siquidem & Regeneratio sunt conjuncta beneficia, quæ inter se sic coherent, ut separari nequeant. Christus enim utrunq; simul nobis confert, nempe peccatorum remissionem per fidem, unà cum dono Spiritus Sancti, qui, per eandem fidem, bonorum operū studium in nobis accendit, 1. Cor. 6. v. 11.

3. Ut electio nostra nobis firma reddatur, secundum hortationem Apostoli: Studete vocationem vestram & electionem firmam efficere, 2. Pet. 1. vers. 10. Item: Quos prædestinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & justificavit: quos autem justificavit, eos etiam glorificavit, Rom. 8. v. 30. Electio enim ex fide, fides ex operibus agnoscitur.

4. Ut bonis operibus fides nostra exerceatur, alatur, corroboretur & provehatur. Nam qui indulget pravis cupiditatibus contra conscientiam, in iis non potest esse fides, eòq; nec bona conscientia, nec fiducia in Deo placato & benevolò. Sensum enim favoris erga nos divini, & pacatam conscientiam, tantum ex fide obtinemus. Hinc Apostolus, Rom. 8. v. 13. Si secundum carnem, inquit, vixeritis, moriemini.

5. Ut bonis operibus ornemus & cohonestemus vitam, famam, ac vocationem nostram, Eph. 4. v. 1. Precor, ut ambuletis ita, ut dignum est vocatione, qua vocati estis.

6. Ut vitemus poenas temporales & æternas. Matth. 7. v. 19. Psalm 39. v. 12. Ut à Deo consequamur præmia spiritualia & corporalia, in hac & futura vita, secundum promissionem, 1. Tim. 4. v. 8. Pietas ad omnia utilis est, &c.

De.

XXI.

Denique proximi causa studendum est pietati & probitati,

1. Ut Simus utiles proximo piis officiis. Philip. 1. v. 24. Permanere in carne, magis necessarium est, propter vos. Item: 2. Corinth. 4. v. 15. Hæc omnia propter vos.

2. Ut per nos vitentur scandala, & proximus ædificetur. Matth. 18. v. 7. Væ homini &c. Rom. 2. v. 24. Nomen DEI blasphematur, propter vos, inter gentes.

3. Ut lucrifaciamus infideles, secundum illud Christi, apud Lucam cap. 22. vers. 32. Et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.

XXII.

Porrò, tenendum hoc loco est & hoc, quòd bona opera renatorum in hac vita non sint perfectè bona, propter sequentes rationes.

XXIII.

Prima est: quia etiam Sancti multa faciunt mala, per se peccata, & propter quæ rei fiunt coram Deo, ut Davidis adulterium & homicidium, itemq; Petri & aliorum horribiles lapsus testantur.

XXIV.

Secunda, quia multa omittunt bona, quæ facere deberent secundum legem.

XXV.

Tertia, quia etiam bona, quæ faciunt, non sunt tam perfectè bona & pura, quàm requirit legis *inperfecta*, sed semper sunt conjuncta cum nãvis, & variis peccatis inquinata. In optimis enim eorum operibus non est ea rectitudinis & bonitatis perfectio, quæ esse debebat. Nec

XXVI.
Nec obscura ratio est. Fides enim, ex qua bona opera fluunt, semper manet in hac vita in nobis languida & imperfecta. Ex causa ergo imperfecta non potest sequi effectus perfectus. Hinc est illa Apostoli querela, cum omnibus sanctis communis. Video aliam legem in membris meis rebellantem legi mentis meae. Rom. 7. v. 23.

XXVII.
Unde tria sequuntur *πορισματα* seu corollaria.

XXVIII.
I. Est hoc. Opera sanctorum, etiam quae optima videntur in hac vita, non possunt consistere, tanquam iustitia nostra, in iudicio Dei. Obstant enim testimonia manifesta Scripturae, qualia sunt, Psalmi illud 143. v. 2. Ne ingrediaris in iudicium cum seruo tuo &c. Item. Deut. 27. v. ult. Maledictus omnis &c.

XXIX.
II. Cum omnia sint imperfecta, agnoscamus & deploremus navos & imbecillitatem nostram, atque ad perfectionem tantò magis aspiremus.

XXX.
Impium ergo est commentum Monachorum, meriti de congruo & condigno, Item de operibus *ωπεροδαιπανήσεως* seu supererogationis, quae fingunt esse opera, nec Deo, nec legi eius debita, quando plus praestant scilicet, quam debeant. Reclamat enim praecipuum illud Domini, Luc. 17. v. 10. Cum omnia feceritis, dicit: Servi inutiles sumus: nam quod debuimus facere, fecimus.

XXXI.
Etiam si verò renatorum seu Sanctorum opera in
B hac

hac vita non sint perfecta : tamen placent DEO, hoc modo.

XXXII.

Primum necesse est, contra dubitationem Pontificiam, certò credere, quòd persona hominis conversi sit reconciliata Deo, propter Christum, gratis, fide, non propter dignitatem nostram.

XXXIII.

Secundò sciendum est, nos non satisfacere legi, sed hæere in nobis multa interiora peccata, dubitationes & malas inclinationes, peccata ignorantia & omissionis: Et deploranda est nostra immundities, & repugnandum dubitationibus & affectibus.

XXXIV.

Tertiò, sciendum est, tamen oportere in nobis esse incoatam obedientiam, juxta præcepta Dei, & hanc Deo placere in reconciliatis, propter Mediatorem, sicut dictum est: Offerte Deo hostias spirituales, placentes Deo, propter Jesum Christum. 1. Pet. 2. v. 5.

XXXV.

Quod cum faciant verè renati, seu electi, non permanent in ipsis peccata contra conscientiam, aut regnantia: nunquam planè excidunt è gratia Dei, nec unquam planè amittunt Spiritum Sanctum, neq; in eos cadit peccatum, quod nominatur in Spiritum Sanctum, & blasphemia Spiritus, itèmq; κατ' ἐξοχήν, peccatum ad mortem, (de quo, in Loco de Peccato, pluribus actum est) Matth. 12. v. 31. 1.

Joh. 5. v. 16.

τῷ θεῷ δόξα ἐν ὑψίστοις.



Ad eruditione & virtute præstantem
Juvenem,

DN. GOTHOFREDUM SCHAUE-
rum de bonis operibus Respon-
dentem.

UNde, quòd hæcæ Thesestanto sub Præsïde gau-
des
tutari, est animus, mi GOTHOFREDE, tibi?
Nempe quòd in solidum solers Theopoldus alumnos
firmet responsis non sine laude piis.
Perge ita, mi Gothofrede, per artes surgere perge:
Sic Patriæ atq; patri gratus & aptus eris.
Nos non facta beare valent pia, sola fides nos
salvat, & absq; Fide nemo placere potest.
Huc redit huc tandem nostra omnis gloria, Christo
laus & honor: *Christi sang Vine MVn Dor ego.*

Valentinus Bon-Kohlo.



Ad eruditione & virtute praestantiam
Iuvenem

DR. GOTHOFREDUM SCHAEFER
RUM DE BONIS OPERIBUS RESPON-

dentem.
Unde, quod habet Theophrasto sub Praxite gaus
des
tiam, est amantissimus GOTHOFREDO, huius
Nempe quod in solidum solent Theophrastus alimnos
sunt et responsionem non invidiosam piz.

Pocis in, in Gothofredo, per artes iungere perige:
Sic Luce atq; parti gratias & apus eris.
Non non quia bene valeat piz, sola fides nos
satis et absq; fide nego placere poterit.
Huc redit huc tandem nostra omnis gloria, Christo
Ians et honor: Christi Ians Ians Mar. Dor. go

Valentinus von-Kolho.




Jh 4245




X 22MA38

VD 17 AC







24

ONES
eologici Melan-
e Bonis operibus,
tratae,
DAM AC
N PROPO.
tae,
E
HEOPOLDO
ii Theolo-
& Inspe-
NTE
CHAUERO
haltino.
M. D. XIII.
emb. Hora 8.
ulina m.
Æ,
Dörfferi.

